


LVNÆ DIE 13 M. OCTOBRIS A. 2014

A.d. III Idus Octobres a. MMXIV

I 8 2

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## DE VIRIS VIRIBVSQVE

– *paucas cogitationes muliebres addit Francisca Deraedt* –

Quid tu, bone lector, et tu, bona lectrice, senseris ea legens, quæ Gaius noster de æqualitate virorum et mulierum nuper scripsit,<sup>1</sup> nescio. Sed equidem cogitavi mulierem non eodem modo fuisse scripturam.

Viro enim, si de hac quæstione deliberat, in mentem statim venit vis physica. Valetne femina autocarrum gubernare? Aut bellicæ classi præesse? Quidni? Nos omnes, nonne, unam aliamve mulierem novimus bove fortiorem, necnon viros corpore molliores. Ceterum in exercitu dux multo minus bellare solet quam ipsi milites. Gaius commemorat primam admiralam Americanam. In Belgica quædam femina anno 2002 creata est prima colonella, anno 2005 prima generalis unius stellæ, anno 2012 prima generalis duarum stellarum sive generalis maior. Eadem, pharmacopola quæ sit, in exercitu regit medicam provinciam, ad quod munus exsequendum verisimiliter non oportet esse Amazonem.

Cur autem adhuc paucæ feminæ cursum ineant militarem, explicatur ipsa militum natura. Exercitus semper fuit et adhuc est mundus maxime virilis, in quo feminæ difficulter accipiuntur atque a collegis sæpe lacessuntur, ut patet ex inquisitione interna quæ, ante paucos annos facta, non nimium est divulgata.

Tota mulier in utero, aiebant antiqui medici. Ac re vera primum æqualitatis obstaculum esse in utero, ipsa non infitiabor, cui olim, cum studiis peractis parata essem dissertationem doctoralem aggredi, professor neolovaniensis, feminarum esse nubere professus, mihi «nube ergo» inquit aliumque prætulit iuvenem – unus enim tum erat doctorandi locus – quamvis multo minus laureatum. Neque paucæ postea fuerunt huiusmodi repulsæ; etiam in aliqua schola secundaria, director aperte declaravit se magistrum quærere masculini generis: feminas enim parere, postea curare liberos, inde sæpius abesse a munere.

Inter feminas, quæ huic conditioni repugnare ausæ sunt, duo exempla proferre velim satis contraria, e quibus patet neque feminas consentire de hac difficili quæstione.

In Francogallia Simona Veil, mulier omni ex parte admirabilis, cum ministra publica sanitati tuendæ esset præsidente Valerio Giscard d'Estaing, legem tulit, quæ anno 1975 magno tumultu sancta est de abortu permittendo. Et qui tum temporis constituerunt de libertate pariendi aut non pariendi? Viri. Sedebant enim quattuor tantum ministræ aut secretariæ publicæ in eo regimine, in quo duodequadragesima homines numerabantur. Itaque, cum propositum suum defenderet coram Parlamento, Simona Veil excusationes putavit esse proferendas: «Primum vobiscum communicare velim aliquam femininam persuasionem – veniam peto, quod sic loquor coram consilio e viris fere unice constante –

nulla femina ad abortum devenit animo læto.»<sup>2</sup>

Viginti quinque annis ante altera Simona, Simona de Beauvoir, rabiosa feministria, mulierum vindicationes potius eructabat quam enuntiabat. Quæ cum clarissimam sententiam edixit hanc: «Femina non nascitur, fingitur»,<sup>3</sup> nullo modo similem cogitationem proposuit qualem Erasmus in opere *De pueris statim ac liberaliter instituendis* inscripto: «Quanto plus confert qui dat bene vivere quam qui dat vivere. (...) Arborea fortasse nascuntur, licet aut steriles, aut agresti foetu, equi nascuntur licet inutiles; et homines, mihi crede, non nascuntur, sed finguntur.»<sup>4</sup> Ubi enim pædagogus profitetur puerum educatione fieri, ut aiebant Græci, hominem pulchrum et bonum, ibi contra, feministria contendit integram hominum societatem perverse efficere ut puella nihil fiat nisi pupa et mater.

Mea quidem opinione hystericæ vindicationes magis nocent quam favent causæ muliebri. Tædium enim afferunt. Quare, ansam Erasmicam libenter capiens, transire malo de viro feminave ad ipsum hominem: «Proinde, si cogitaris quam non sit homo, qui litterarum expertus est (...), non sines infanti tuo, in quo veluti renatus superstes eris, ullam ævi partem incultam abire, in qua parari queat aliquid, quod vel in omnem vitam magnum bonum adferat, vel a malis arceat.»<sup>5</sup>

Hominem fingi, non nasci, tam verum est, at nonnumquam tam obscurum, ut exemplo sit opus:

«Eleganter Aristippus crasso cuidam ac diviti roganti, quid utilitatis adolescenti allatura esset eruditio: 'Vel illud', inquit, 'ne in theatro lapis lapidi insideat'.»<sup>6</sup>

Ac denique, cum impleta iam pagina moneat mox fore tacendum, facere non possum quin concludam hoc Erasmi sapientissimo consilio, quo, bone lector, circulus ut aiunt absolvitur: «Naturam nemo nec alii cuiquam nec sibi dare potest, quamquam hic quoque nonnihil habet momenti parentum cura. Prima est, ut vir sibi deligat uxorem bonam, ex bonis prognatam, probeque educatam, tum prospera corporis valetudine.»<sup>7</sup> Locusum, nonne? ↻

1. G. Licoppe, «Cedat vis ingenio», *Melissa*, n. 181, p. 1.

2. «Je voudrais tout d'abord vous faire partager une conviction de femme – je m'excuse de le faire devant cette Assemblée presque exclusivement composée d'hommes – : aucune femme ne recourt de gaieté de cœur à l'avortement.»

Discours prononcé à la tribune de l'Assemblée Nationale le 26 novembre 1974.

3. «On ne naît pas femme: on le devient.» In *Le deuxième sexe*, 1949.

4. ASD, I-2, p. 31.

5. *Op. cit.*, p. 24.

6. *Op. cit.*, p. 31.

7. *Op. cit.*, p. 42.

# MYTHOPOLIS SIVE DE POLITICE RECTO

– scripsit Marcus Cristini –

*Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas:  
plurima mulcendis auribus apta feret.*  
(Ovidius, *Tristia*, II, 357-358)

In regione quadam Europæ est urbs nomine Mythopolis, civitas multis aliis similis, cum palatiis, domibus, viis, foris et viridariis. Incolæ eius, ut ubique accidit, negotia gerunt, ludunt, disserunt, amant et queruntur. Plerique, multas per gentes et multa per æquora vecti, laboribus dimissis, otii senectutis fruuntur, postquam innumerabilibus annis ardua faciendo et ardua patiando, qualia animalia horrenda necare, puellas perpulchras liberare vel universum mundum ab interitu servare, vitam egerunt. Nam incolæ urbis huius re vera non cives communes sunt, sed personæ celeberrimæ et monstra haud ignota.

Nuper quattuor amici ad Viam Nubicuculiam convenerunt. Nomina eorum Sigfridus, Fafnirus, Theseus et Minotaurus erant. More solito die Lunæ in domo Sigfridi sub celsis pinis horti eius congressi erant chartulis lusuri. Sigfridus vir altus erat, capillis candidis et barba argentea, facie serena; Theseus, contra, brevior apparebat et fere omnes capilli eius deciderunt, sic caput calvum ostentabat. Fafnirus draco erat, at ver vitæ eius procul aberat, color squamarum, olim viridis, canescebat. Minotaurus insignia cornua eburnea sua magno cum gaudio monstrabat, at tempus pellem opacam fecerat. «Age, Fafnir, quid moraris?» dixit Sigfridus. «Chartulas tuas ostende! Certe scio me lusum hunc vicisse, numquam chartulas tam secundas habui». Draco eum breviter aspexit et chartulas ostensus erat, cum repente sternutavit et flatu igneo chartulas concremavit. A iacca sua sudarium extrahens dixit demissa voce: «Veniam peto, Sigfride». «Fafnir, hercule, iocum hunc iam ter fecisti! Cum chartulæ tuæ adversæ sunt, eas incendis!». «Sigfride, ego hoc non dolose facio». «Mentiris! Tu loqueris cum perfidia plusquamdraconica! In te nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio!».

Fafnirus, cui verba hæc satis contumeliosa videbantur, sic respondit: «Amice, valetudo mea non bona est. At et tibi cavendum est ne destillationem quandam capias. Nam heri te noctu in horto Brunhildæ vidi vento sæviente et pluvia cadente». Sigfridus, qui sciebat uxorem suam Crimhildam prope sedere librum legentem, submissa voce dixit: «Fafnir, sceleste, fave lingua. Si...». At Crimhildæ bonæ aures erant. «Quid? Quid fecisti, Sigfride?». Mulier appropinquavit cito. «Mortuus sum» vir murmuravit pallens. «Quid agebas in horto Brunhildæ, coniunx?». «Nihil, uxor cara, nihil, illic numquam fui...». «Sigfride, forsitan cogitas

me stultam esse?». «Minime, at...». «Tu semper cum illa venefica loqueris, semper eam conspicias quasi dea esset! At si me prodidisti, ultio mea terribilis erit!». Fafnirus, qui satis subriserat, subsidio amico venit. «Crimhilda, noli irasci, quæso. Oculi mei non iam acuti sunt et fortasse heri umbram aspexi et eam Sigfridum esse cogitavi». «Verum» addit Theseus. «Heri cum Sigfrido apud Æneam eram. Collocuti sumus usque ad noctem mediam». «Et ego hoc testor» inquit Minotaurus. Crimhilda paulisper cunctata est, itaque Sigfridus dixit: «Sponsa dulcissima, quis cogitaverit me tibi infidum esse? Uxorem pulcherrimam habeo, amens essem, si aliam feminam diligerem». Blanditiæ eius successerunt. «Quæ cum ita sint mihi non irascendum est» dixit mulier et iterum sedit. «Obsequium amicos, veritas odium parit» inquit Theseus. «Varium et mutabile semper femina» addit Minotaurus. Sigfridus interea desiderium ludendi amiserat. Aer gravis factus erat, igitur amicis brevem deambulationem proposuit. Omnes læti erant et horum reliquerunt.

Cum in via essent, Theseus ex Sigfrido quæsit: «Amice, quid faciebas in horto Brunhildæ media nocte?». «Aliena ne cures!». «Sigfride, memoro olim te anulum magicum habuisse, qui te non adspectabilem redderet...» inquit draco. «Fabula est, Fafnir». Deinde submissiore voce addit: «Insuper et anuli senescunt: aliquando non tam bene quam antea munere suo perfunguntur». Sed de hac re disserere ei non placebat, sic inquit: «Amici, scitisne quid mihi heri acciderit?». «Minime, sed certus sum nos celeriter id cognituros esse» respondit Fafnirus. «Heri ivi ad Societatem Heroum ac Monstrorum Senium et illic erat conventus memoria dignus». «De qua re agebatur?». «De re appellata Anglicis verbis *politically correct*». «Nomen horreo» dixit Minotaurus. «Quid significat?». «Politice rectum». «Res satis molesta videtur». «Fortasse molesta, certe nobis periculosa». «Cur?». «Quia, amici carissimi, nos politice recti non sumus, itaque in societate hodierna exsistere non possumus».

Silentium satis longum secutum est. Posthac locutus est Theseus: «Vix equidem credo, Sigfride, nos hic sumus et homines mulieresque ab omni natione res gestas nostras noscunt». «Olim fortasse sic erat, at hodie dubito». Minotaurus, qui acumine ingenii non excellebat, inquit: «Hæc res nebulosa mihi videtur. Quid significat nos politice rectos non esse? Cur sic fieri opus esset?». Sigfridus ad amicum se vertit. «Minotaure, exemplo res clarior fiet. Ut bene scis, in mytho tuo Theseus te occidit ut Ariadnen et alios iuvenes Athenienses liberaret». «Hoc certe nosco».

«Homines politice recti dicunt hoc iustum non esse». «Quid? Et quid facerem? Cum Minotauro chartulis luserem?» exclamavit Theseus. «Homines hodierni dicunt te Colonialismo vel Imperialismo favere, cum in terris alienis monstra inermia neces». «Ego inermis?» exclamavit magna voce Minotaurus. «Si incidero in hominem hoc dicentem, ego eum cum cornubus meis subito confodiam!». «Amice, nemo te calumniare vult. Sed tu solum cornua tua habes, Theseus gladium possidet». «Certe, monstrum sum, cornua habeo. Hactenus in monstra cum bombardis numquam incidi». «Ego tecum consentio, sed, opinione hominum quos audivi, aliter agendum erat. Theseus tecum conloqui debebat et sine vi Athenienses auferre. Alii etiam arbitrati sunt morem tuum iustum esse. Nam nemini iudicandi sunt mores aliorum populorum. Igitur rectum esset, si tu pueros puellasque usque ad diem hodiernum comedere perrexisses». His auditis amici cum clamore riserunt. «Homines politice recti boni comici sunt!». Fafnirus tam riserat, ut flores ante domum Persei positos incenderet. «Sigfride care, hæc verba magnopere me delectaverunt. At homines politice recti stulti re vera sunt aut sic videri amant. Historia Minotauri est mythus, Theseus numquam occidit amicum nostrum. Æquo modo historia anuli Nibelungorum mythus est, Sigfridus me haud necavit, etiamsi hodie fortasse de hoc cogitavit. Myths sunt narrationes fictæ, homines monent et docent et oblectant. Pueri, cum de Theseo et Minotauro legunt, discutunt quid sit laborem pati, metui resistere, pro libertate civium pugnare». «Verum» inquit Theseus. «At mythi sunt etiam regnum phantasiæ, hominibus opus sunt et opus semper erunt narrationes fictæ. Hæc non sunt libri de morali philosophia, totæ politice rectæ esse non possunt, quia homines ipsi politice recti non sunt et mythi vitam virorum mulierumque, non spirituum apathicorum, depingunt». «Insuper mythi scripti sunt ante milia annorum» addit Minotaurus. «Olim, favente fortuna, nec politice rectum nec politice recti erant».

Sic loquendo pervenerant ad domum Herculis, quæ magna villa non longe a Viridario Utopia erat. Quattuor amici hortum herois aspectaverunt et ibi conspexerunt magnum virum flexum rosam aspicientem et inter se murmurantem: «Vigilandum est semper, multæ insidiæ sunt bonis!». Hercules more solito pellem leonis gerebat et clavam in manu sua habebat, qua sicut baculo utebatur. «Hercules, quomodo te habes?» quæsit Sigfridus magna voce (heros enim satis surdus erat). «Non male, amici mei, non male. Vos appropinquare non audivi. Quid agitis?».

«Deambulamus et loquimur» respondit Fafnirus. «Et tu quid agis?». «Ego pugnam acerrimam pugno contra curculiones». «Contra quos?». «Curculiones, ii sunt bestiolæ terribiles, rosas meas die nocteque vorant». Minotaurus flores rubros propius conspexit. «Colorem florum istorum equidem non amo». «Quid dicis, amice? Rosæ sunt reginæ omnium arborum, sol horti, testes veris, nuntia lætitiæ. At sic fragiles sunt, quam longa una dies, ætas tam longa rosarum, quas pubescentes iuncta senecta premit. Quis flores hos non diligeret?». Fafnirus et Sigfridus cum oculis riserunt: omnes immensum amorem Herculis rosis suis sciebant. Ex eo quæsierunt, num vellet cum illis paulisper deambulare, at ille urbane negavit, dicens rosas suas curandas esse. «Itaque nos deambulationem nostram pergimus. Tibi hoc commendo, pugna fortiter pro aris et rosis!» dixit Sigfridus. «Hercule, profecto!» respondit Hercules. «Cædes curculionum, hic decimus tertius labor Herculis erit!» exclamavit heros, minans curculiones clava.

Quattuor amici ad Viridarium Utopiam iverunt et ibi de politice recto iterum disseruerunt. «Sigfride, curiosus sum. Si illi homines politice recti, quos heri audivisti, talia de me et de amico meo Minotauro dixerunt, quid de te et de Fafnirio?». «Noli timere, Historia Nibelungorum quoque sub telis politice recti cecidit. Nam cum ii me adesse viderent, subito me accusaverunt ut hostem pacis necnon fautorem Imperialismi». Fafnirus subrisit. «Et cur?». «Quia, amice carissime, te necavi. Eorum sententia hoc faciendum non erat. Aurum enim de iure tuum». «Minime» respondit Fafnirus. «Ego in mytho patrem meum occido et fratrem fraudo, sic nec fas nec ius est me aurum habere». «Hæc scio, sed suspicor homines politice rectos mythos non perfecte cognoscere. Insuper ii adfirmant a Sigfrido Fafnirio veniam petendam esse». «Veniam? Nonne amentes sunt?». «Fortasse, sed ii satis logici, etiamsi tortuosi, sunt. Nam homines, non dracones, aurum et gemmas fingunt. Itaque, eorum sententia, miseri dracones, a rebus fulgentibus decepti, natura duce, divitias rapiunt. Tamen homines rei sunt, cum divitiæ ab eis creatæ draconum mentes candidas polluerint. Sic a Sigfrido, ergo a me, Fafnirio, ergo tibi, humiliter veniam petenda fuisset». Theseus, Minotaurus et draco tam stupefacti erant, ut aliquo tempore loqui non possent. Postremo filius Ægei dixit: «Amentia hominum istorum vix credibilis est! Non arbitrati sunt etiam dracones ingenium animumque habere, quo bonum ac malum distinguerent? Non cogitaverunt Historiam Nibelungorum mythum de periculis divitiarum atque de virtute esse? Non rati sunt narrationem

hanc ante octo sæcula scriptam esse?». Fafnirus addit: «Humanus est deridere vitam quam deplorare. At hic revera sunt lacrimæ rerum et mentem mortalia stupida tangunt. Ego draco stoicus sum, divitias sperno (nam, ut scripsit antiquus philosophus, brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est) et in spelunca modesta vivo. At in mytho mihi recitandum est, persona mea avara et crudelis est. Sed hoc evenit in mytho, non in mundo vero. Mythus, ut iam dixi, ad docendum et delectandum factus est. Homines et dracones perfecti non sunt nec umquam erunt. Fabulis et narrationibus fictis nos menda nostra agnoscimus et narrendo meliores fimus». Minotaurus his verbis adensit. Deinde locutus est: «Nunc alia res mihi venit in mentem. Si isti homines mythos tam aspere iudicant, quomodo filios filiasque eorum bonum ac malum docent? Nam mundus sine mythis est mundus sine anima. Et sine anima ubi sunt bonum ac malum?». «Hæc questio difficilis est. Nescio» respondit Sigfridus. «Sed multi homines politice recti putant bonum ac malum verba desueta esse. Eorum earumve sententia non iam est 'bonum' ac 'malum', sed 'bonum mihi' ac 'malum mihi'. Philosophia hæc moderno verbo *Relativismus* appellatur». «Timeo ne nos tempore Relativismi reliqua mundi acti fiamus» inquit Theseus. «Pro dolor, sic est!» respondit Fafnirus. «Nam scitisne quid mihi mense præterito acciderit? Ego ad civitatem quandam ivi, cum desiderarem scire num homines mei memoriam adhuc colerent. Itaque indui amiculum, camisiam, focale, petasum amplum et vitra ocularia opaca...». «Tamquam argentarius» inquit Theseus. Fafnirus, ignorata intermissione, loqui perrexit. «Ingressus sum in librariam et petivi librum de celeberrimo dracone Fafniro. Cogitabam volumina centum inveniri, at mulier, quæ librariam gerebat, nihil de dracone Fafniro sciebat. Sed præsto erat liber, cum titulo *Hobbitus Ille*, qui de Smauge dracone agebat. Valde tristis exiturus eram, cum puer me aliquantulum aspexit et repente ad matrem suam rediit clamans: 'Mater, mater, vidi dinosaurum!'. Pro dolor! Olim omnes pueri Fafnirum draconem cognoscebant atque timebant, nunc putant me dinosaurum quendam esse!». His dictis Fafnirus e iacca sudarium traxit et lacrimas duas tersit. Sigfridus miseratus est amicum. «Sursum corda, Fafnir! Olim fama super æthera noti eramus, nunc alia tempora, alii mores».

Dum talia dicebantur amici pervenerunt ante domum Æneæ. Primo eum salutare volebant, sed statim voces clamitantes audiverunt. «Tu me iterum relinquere vis, perfide!». «Minime, proficiscor ad breve iter suscipiendum, at post decem dies denuo hic ero».

«Mentiris!». «Dido non læta videtur» inquit Theseus. «Nescio quid Æneas eam uxorem duxerit et Laviniam reliquerit» addit Minotaurus. «Æneas cum Lavinia infelix erat, Didonis numquam oblitus est» respondit Sigfridus. «Insuper Lavinia eum non multum amabat. Nam, præterito mense a divortio, ea nupsit Turno». «Rebus sic stantibus quare inter eos lis est?». Fafnirus, qui, more draconico, omnia de omnibus cognoscebat, dixit: «Æneas ad Italiam iturus est, ut conventui de Vergilio et operibus eius intersit. Initio nolebat proficisci, sed philologi Italici amici eius sic precati sunt, ut non posset non adsentire». Interea Dido exclamavit: «Me miseram! Bis prodita sum, ob dolorem morior. Vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi, et nunc magna mei sub terras ibit imago!». «Dido, hæc non tragœdia est, nolo te relinquere, iuro me post decem dies rediturum esse. Itaque desine meque tuis incendere teque querellis, Italiam non sponte sequor!».

Theseus, Minotaurus, Fafnirus et Sigfridus non ausi sunt Æneam ac Didonem visitare, sic retrorsum redierunt. «Amice, dicta tua de hominibus politice rectis me aliquantum terruerunt» Sigfrido Theseus dixit. «Genus istud contra nos, miseros heroes ac monstra vetera, acriter pugnat. Spero homines ævi præsentis eis aures non nimium præbituros esse, aliter mythi et phantasia morituri sunt». Minotaurus, qui adhuc de homine, qui eum inermem appellaverat, cogitabat, valde iratus dixit: «Væ vobis, homines politice recti, hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris quidem parent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia!». «Minotaure, quæso, noli irasci» inquit Sigfridus. «Viri mulieresque politice recti, credo, nolunt nos perfide adversari. Illi illæque iniurias et opiniones præiudicatas vincere volunt et hoc bene est. Sed mythi non damnandi sunt quia aliquando contumeliosi sunt, nam et homines aliquando contumeliosi sunt. Aurea mediocritas etiam in politice recto diligenda est». Omnes adsenserunt et, cum autem sero factum esset, abeuntes Sigfridum salutaverunt. Ille, dum in villam suam ingrediebatur, iterum cogitavit de conventu cum hominibus politice rectis. Quidam ex his, acta contione, ad Sigfridum appropinquaverat ex eo quærens quid de verbis eorum cogitaret. Heros breviter aspexerat inscriptionem, quæ aulam ornabat (SOCIETAS HEROVM AC MONSTRORVM SENIVM MYTHOPOLITANORVM – AVDITORIVM) et posthac dixerat: «Nec venit in mentem quorum consereris arvis?». ☪

# DE ANDREA VESALIO ANTE QVINGENTOS ANNOS NATO (I)

– scripsit Gaius Licoppe –

Andrea Vesalii nomen satis notum est, praesertim in Belgica ubi natus est; ibi, ut exemplum afferam, duo nosocomia eius nomine appellantur; rariores tamen sunt, qui sciant quis re vera fuerit et quid magni gesserit. Cum autem hoc anno quingentesimus dies anniversarius eius nativitatibus celebrandus sit, occasio datur de eo nonnulla narrandi.

Bruxellis in paterna domo natus est die 31 mensis Decembris anno 1514, maxima quidem cum probabilitate. Eius familia, quae longinquam originem habet in Rhenani Ducatus Cliviensis oppido *Wesel*, in Brabantiam iam diu migraverat et vocabatur Wytinck. Haec familia non erat humilis, nam Andreae proavus anno 1427 receptus est doctor medicinae Universitatis Patavinae ac deinde docuit in Universitate Lovaniensi, duobus tantum annis ante condita. Bruxellis habitabat et munere medici huius urbis fungebatur. Complures formae eius nominis inveniuntur: «Iohannes Wytinck, dictus van Wesele», «Jan van Wesele» vel etiam «Iohannes de Wesalia». Imperator Fredericus III, Sacri Romani Imperii caput, eum honestavit scutulo nobilitatis tribus argenteis mustelis ornato. At curnam mustelis? Hic est ludus verborum, nam Theodisce mustela vocatur *Wiesel*, quod fere idem sonat ac *Wesel*, oppidum unde eius familia est oriunda.



Quid fecerit, ut Fredericus III eum remuneraretur, nescimus. Dominio sui iuris Ducum Burgundiae anno 1477 post cladem et mortem Ducis Caroli Temerarii extincto, Brabantia fit pars Sacri Romani Imperii; tunc fortasse proavus Iohannes quinquaginta annos natus alicuius utilitatis fuit Imperatori; eius quidem filius maior natus, Everaert praenomine, factus est medicus filii Henrici III, Maximiliani Austriaci, qui uxorem duxit Mariam Burgundiam, solam Ducum Burgundiae heredem.

Ille Everaert caelebs totam vitam mansit, sed tamen complures illegitimos pueros genuit. Unus ex eis, Andreas, factus est apothecarius Margaritae Austriacae et postea Caroli V, qui eum legitimavit. Eius tertius

puer est noster Andreas.

Qui scholam Fratrum Devotionis Modernae<sup>1</sup> Bruxellis frequentavit usque ad quintum decimum annum. Deinde Lovanium petivit, ubi in Pædagogio Castrensi die 25 m. Februarii a. 1530 inscriptus est sub nomine «Andrea van Wesel de Bruxella» (urbs tunc nondum honestatur numero plurali); imprimis «artes» ei discendae sunt, i.e. lingua Latina et artes liberales, trivium et quadrivium.<sup>2</sup> Ibi consuetudinem amicitiamque iungit cum nonnullis iuvenibus, qui postea magni ponderis erunt in aula Caroli V. Eodem tempore Andreas videtur Collegium Trilingue<sup>3</sup> frequentavisse, unde eius bona scientia linguae Graecae et (minor) linguae Hebraicae.



*Imago Caroli V a Christophoro Amberger (1490? - 1560?) depicta (Wikipedia)*

Adepto artium magisterio, medicinae studere incipit. Tum, suadente Nicolao Florenas, Caroli V medico et suae familiae amico, anno 1533 migrat Parisios, ubi studia medicinae pergit. Inter Facultatis Medicinae magistros habet Iohannem Guintherum Andernacum (Jean Guinter d'Andernach) et magis clarum Iacobum Sylvium (Jacques Dubois); ambo sunt boni hellenistae, qui operam dant ad Galeni opera Graeca, Venetiis paucis annis ante (1525) prelo primum data, in Latinum vertenda.

Guintherus anatomiam docet et hiemales dissectionis sessiones habet modo mediævali: ipse aliquem Galeni textum legit, dum tonsor vel chirurgus cadaver

suspensi hominis proscat; nonnullis tamen occasionibus magister sinit Vesalium ipsum proscare. Guintherus, cum magni æstimet non solum Andreæ sollertiam in dissecando, sed etiam eius linguarum antiquarum scientiam, eum consociat in opere parando, c.t. *Institutionum anatomicarum secundum Galeni sententiam ad candidatos medicinæ libri quattuor*; quod opus Basileæ anno 1536 editur. Abhinc Andreas vocatur «Vesalius», nomen imprimis per duplicem litteram V scriptum, postea simplicem; suo nomini libenter addit «Bruxellensis»; hæc enim urbs nobilior facta est, cum imperator Carolus V palatium Ducum Burgundiæ suæ ingenti potestati aptavit ibique aulam collocavit.


Cum ineunte anno 1536 iterum incohatur bellum inter Franciscum I et Carolum V, Vesalius, cuius familia proxima est aulæ Caroli V, regnum Francogallicum relinquere cogitur ac Lovanium redit, ubi annum academicum 1536-37 degit. Primum librum tunc edit, qui



Palatium anno 1731 incendio deletum est.

videtur esse summa thesis conscriptæ ad gradum licentiatæ medicinæ adipiscendum; libri titulus est *Paraphrasis in nonum librum Rhazæ, medici Arabis clarissimi, ad Regem Almansorem de singularum corporis partium affectionum curatione*; eum dedicat medico Nicolao Florenas, qui suasit ut in universitate Parisiensi studia pergeret. In fine libri divulgat «Epistolam ad lectorem», qua suadet, ut in tradendis rebus scientificis verbum rectum exquiratur et ab omnibus adhibeatur, quod fiat vinculum medicæ culturæ.

Vesalius, peracto Lovaniensi anno academico, petit, sine baccaureatu, studiorum Universitatem Patavinam, cuius schola medicinæ inter ceteras tunc temporis eminent. Cum Patavium ad rem publicam Venetam pertineat, indagatores ibi Inquisitionem non timent maioreque libertate fruuntur. Vesalius videtur statim magni æstimari, quia sine mora admittitur ad



pericula subeunda; quibus magna cum laude eodem anno superatis, fit doctor medicinæ et illico, 23 annos tantum natus, a Senatu Venetiarum nominatur «chirurgiæ explicator», ut chirurgiam et anatomiam corporis humani doceat in Patavina Universitate.

Cum magna cadaverum copia ei sit in promptu, novam viam ingreditur ipse proscans coram alumnis circum mensam stantibus. Quibus petentibus, accuratas delineationes e sectionibus factas in formam sex magnarum tabularum cogit annoque 1538 Venetiis apud Bernardinum Vitalem edit sub titulo *Tabulæ Anatomicæ sex*, quas dedicat Narcisso Parthenopeo, primo medico et consiliario Caroli V. Tam extraordinariæ re vera sunt hæc *Tabulæ*, ut continuo tum in Sacro Romano Imperio cum in regno Francogallico effingantur.

Earum editionis originalis duo tantum exemplaria adhuc servantur. Hæc tabulæ non solum accurate delineatæ sunt, sed etiam artificiose et eleganter; tres priores, quibus ordine monstrantur iecoris vena porta, totius corporis vena cava et totius corporis arteriæ, ab ignoto artifice ex Vesalii delineationibus compositæ sunt; tres alteras ad skeleton spectantes delineavit e scelecto a Vesalio coagmentato Nederlandus artifex Iohannes Stephanus van Calcar, qui etiam pecuniam dedit ad editionem faciendam.

Iam diu moderni indagatores suspicabantur effigiei Coloniensi, cuius unicum servatum exemplar possidet Bibliotheca Regalis Bruxellensis, septimam tabulam additam esse uno tantum anno post editionem originalem; editor, anatomista Coloniensis Ægidius Macrolus, hanc tabulam addidit a quodam alumno allatam, qua monstratur cerebrum eiusque nervi secundum Vesalii delineationem.

Cum Vesalii quadringentesimus quinquagesimus nativitatis diei anniversarius celebratus est, ex effigie Coloniensi confecta est lautissima editio anastatica, cuius exemplar mihi est.



Cum librum inspiciamus, in paginarum titulis nonnulla vocabula Græce scripta videmus, ut v.g. ΣΚΕΛΕΤΟΝ.

LATERALIS ΣΚΕΛΕΤΟΥ FIGVRAE DE-  
SIGNATIO.



In alia summa pagina apparet ἀορτή etiam Hebraice scripta.

Ad usum alumnorum Vesalius retractatum Guntheri opus cum additamentis, incio auctore, anno 1538 divulgat hoc titulo: *Institutionum anatomicarum libri quattuor*.

Tanta est Vesalii contributio scientifica et institutoria, ut anno 1539 eius munus in Universitate Patavina continuetur salario aucto; quod munus tamen est precarium, nam spatium temporis ex Universitatis regulis non excedit sex annos. Præterea salarium est modicum; cum Universitatem relinquit, solum ducentorum florenorum est, cum ceteris medicinæ facultatis professori-


bus plus minusve mille solvantur. Quare Vesalius opera sua hominibus dedicat, a quibus maiora bona expectare potest.

Indesinenter dissecando magis magisque pro certo habet Galeni descriptiones anatomicas non humani corporis dissectione niti, sed animalium. Nullum adhuc experimentum factum est ad Galeni corporis descriptionem recognoscendam, quæ habetur ut irrefutabilis. Vesalius autem autumat Galeni anatomiam esse relinquendam, ut nova creetur nitens humani corporis dissectionibus. Anno 1540 ab alumnis universitatis Bononiensis invitatur ad dissectiones faciendas, quibus illustret anatomiam cursum professoris Matthæi Corti. Ibi iterum in dubitationem adducit veritatem Galeni anatomicarum descriptionum.

(Continuabitur)

1. Fratres Devotionis Modernæ orti sunt e motu spiritualitatis, quem creavit Nederlandus Geert Groote exeunte quarto decimo sæculo; hi fratres multas optimasque scholas instituerunt. Inter eos notissimus est Thomas a Kempis, auctor clari libri c.t. *De imitatione Christi*.
2. Trivium constat e grammatica, dialectica et rhetorica. Quadrivium ex arithmetica, geometria, astronomia et musica.
3. Collegium Trilingue seu Collegium Trium Linguarum seu Collegium Buslidianum. Lingua Græca, Latina et Hebraica ibi docebatur. Hoc Collegium conditum est, instigante Erasmo, ab eius amico Hieronymo Buslidio (Jérôme de Busleiden, Orolaunensis i.e. natus in urbe Arlon), ad theologiam renovandam studio Sacræ Scripturæ in ipsis textibus originalibus. Franciscus I ad eius exemplum Parisiis creavit Collegium Regale, postea Collegium Francogalliæ factum.

VENÆ CAVÆ, IECORARIÆ, ΚΟΙΛΗΣ, וְהַחֲוֵי, הַחֲוֵי, הַחֲוֵי.  
NARVVS DESCRIPTIO, QVA SANGVIS OMNIUM PARTIVM NVTRIMENTVM PER VNIVERSVM CORPVS DIFFVNDITVR.



Quemadmodum iugularis interna, et ea que per transfusos vertebros processus propagatur, in cerebrum eoque membranas et ventriculos excurrit, hic delimitari, sequit.

Hæc vena in glandis bifurcatur, nonnihil paulo inferius apparet, sic ut ab altero ramo axillaris, quæ admodum modo humeraria deduci videtur. Præterea pectoris vena quæ ad mamillas quoque diffunditur ab axillaribus interdum propagata apparet. Adde externam etiam iugularem, subinde gemmas utrinque in collo conspicit.

Non te sollicitū habeat venarum in extrema manu propagatio, quæ si inter viginti, duas aequali vena non distribuitur, innumera sunt illi in inferiorem, rem mi implicatur. Quamobrem, et ob loca distantiæ, venarum, exiguitatē Græci in hac parte venas nunquam fecerunt, nisi forte rarissimi in diurnis lenis affectibus, cum qui inter axillarem et analem digitos manus sinistrae reperitur, quem Syalem in utraque manu aliqui appellant, ut eum quæ ad pollicem excurrit Saluætellem licet et priorem eo nomine eum vocatum reperimus.

B Hanc sine pari venam, quæ ostio inferioris colles nutrire dicitur, nunquam sub dextra cordis auricula propagatam vidimus, imo ut in cambes et simis paulo supra axillarem. Quare dolore laterali ad inferiorem surgente, magis quog; vena sectione, quam purgante medicamento utendum erit, et propter Hippocratis sententiam, Galenum in secundo libro de u-

## DE DOCTRINA DEQVE VIRIS DOCTIS

– auctore Arthurio Schopenhauer (1788-1860), in Latinum vertit Martinus Baasten –

## § 1

Varia atque numerosa instituta docendi et discendi si qui censuerit tantamque discipulorum ac magistrorum turbam perspexerit, pæne crederet genus humanum sincere prudentiam et veritatem petere.\* At hic, ut sæpe alias, simulacra mentem fallunt. Hi enim docent lucri causa neque ipsam sapientiam, sed eiusdem speciem atque fidem persequuntur; illi non discunt ad scientiam prudentiamve quærendam, sed ut garrire possint sibi auctoritatem concilient. Ita tricesimo quoque anno nova ætas nascitur pullulus ignotus, qui nihil aliud cupit quam fructus humanæ scientiæ per milia annorum congestæ raptim et summam devorare cunctisque maioribus calliditate præstare. Ea mente academias frequentat librosque capessit scilicet novissimos, ut qui sui æquales sint – dummodo omnia nova et brevia, sicut ipse novus! – statimque de quibuslibet rebus iudicare aggreditur. (De studiis proprie alimenti gratia factis adhuc omnino tacui.)

## § 2

Plerique viri docti ac studiosi cuiuscumque generis et ætatis tantummodo notitiam neque veram prudentiam quærunt. In notitia omnium rerum adipiscenda gloriantur, cum lapidum, herbarum, procliorum, experientorum, tum præcipue quorumque librorum. Neque eis occurrit notitiam non esse nisi instrumentum ad prudentiam petendam nec per se magni esse momenti, cuius rei tamen quodque ingenium philosophia imbutum natura sibi conscium est. Coram tanta doctrina horum omniscientium nonnumquam miror quam pauca eis fuissent cogitanda, ut tot scripta perlustrare valuissent! Cum etiam Plinius ille maior dicitur continuo super cenam, in itinere, in balneo aut legisse aut aliquid audivisse,<sup>1</sup> perturbor quantum ei defecissent, quæ ipse meditaretur, quod perpetuum sibi alienas sententias, quasi phthisico potionem, infundere necesse haberet, ut in vita maneret. Cuius porro iudicium solutum quominus magni faciam, sane impediunt inanis eius credulitas simul et odiosa atque obscurissima brevis in collectaneis dictis prolata.<sup>2</sup>

## § 3

Sicut abundantia legendi ac discendi facultatem libere cogitandi deminuit, item copia scribendi ac docendi a claritate doctrinæ et intellegentiæ subtilitate animum depellit. Etenim eis qui id faciunt, tempus deficit ad ingenium acuendum.<sup>3</sup> Itaque viri docti in scholis egestatem acuminis verbis sententiisque supplere student, quapropter permulti libri ieiunos atque tædii plenos se præbent. Quæ quidem exilitas nequam ex ipsa materia redit; nam ut fertur bonus coquus et obsoletum calceum condire posse, itidem

bonus scriptor aridissimam quamque materiam illustrare potest.

## § 4

Cum plurimis viris doctis disciplina sua non proposito, sed instrumento sit, nihil umquam in ea magno-pere efficient. Quippe quod ferret, ut disciplinam, quam profitentur, sibi propositum destinarent omniaque alia, immo ipsam vitam, instrumentum tantum existimarent. Omnia enim quæ non sua causa exercentur, mediocria fiunt; in operibus cuiusquemodi nihil sane excellentiam attingit, nisi quod sua causa, nec velut instrumentum ad alienos fines persequendos, factum sit. Pari modo iudicii magnitudinem et cognitionis novitatem nemo accedet, nisi qui in studiis propriam scientiam adipiscendam aliena neglecta prorsus sibi proposuerit. Viri docti autem communiter eo tantum litteris student, ut docere ac scribere possint. Quorum igitur mens similis est ventris viscerumque, unde cibus excernitur crudus atque inconfectus. Eamque ob rem parum prodest, quod docent scribentve, nam unusquisque ingenia aliorum hominum solo lacte e suoapte sanguine extracto neque crudis excrementis nutrire potest.

## § 5

Capillamentum certe aptissimum est signum naturæ viri docti. Copia crinium alienorum enim decorat caput suis crinibus carens, sicut doctrina sua e plurimis consiliis alienis constat, quæ tamen haud naturaliter sibi conveniunt, nec ad quasque causas apta videntur, nec animo firmiter inhærent, nec semel consumpta tam facile ab aliis ex eodem fonte ortis substituantur, quam si ex ipsius pectore nata essent. Quare ille Sterne in *Tristram Shandy* satis impudenter affirmat: *An ounce of a man's own wit is worth a tun<sup>4</sup> of other people's* «uncia ingenii sui pro talento valet alieni».

Ut doctrina quamvis perfectissima ad magnum ingenium, sic vero herbarium ad sata identidem renascentia, semper virentia, semper vigentia, semper viridia. Nullaque res a doctrina cuiuslibet interpretis magis distat quam iuvenilis integritas veteris scriptoris.

## § 6

Amatores, amatores! – ita enim eos qui ex amore et delectatione alicui arti disciplinæve student, summo fastidio vocant, qui lucri causa eisdem operam navant, quoniam ipsi sola pecunia in disciplinis quærenda delectantur. Qui contemptus in eo est, quod illiberaliter sibi persuasum habent, neminem ullam rem serio aggressurum esse, nisi quem aut fames, aut necessitas, aut aviditas quædam impulerit. Vulgus videlicet eisdem est animi eiusdemque sententiæ, unde oritur vul-

garis illa verecundia adversus ‘professores disciplinarum’ simul etiam suspicio amatorum. Atqui amatoribus disciplina sua vere proposito, professoribus contra mero instrumento est; nemo suam rem plena navitate agit, nisi cui ea prorsus cordi est quique eandem ex ipsius rei amore exercet. E labore et studio talium viro- rum enim, neque operarum mercenniarum, semper maxima quæque evenerunt.

## § 7

Itidem summus Goethe in theoria colorum erat amator – de hac re breviter dicendum!<sup>5</sup>

Stultus vel improbus esse omnino licet; ineptire est iuris gentium. De stultitia vel improbitate loqui tamen flagitium est atque scelus nefandum contra honestatem moresque commissum. Admonitio sane prudens! Quam hic tamen semel negligere debeo, ut cum Germanis germane dicam. Contendo enim fortunam theoriæ colorum Goethianæ insignitum esse testimonium aut improbitatis aut vero plenæ imprudentiæ hominum litteratorum Germanorum; haud dubie utraque commendatio alteram confirmavit. Cum docta plebs laute vivere atque ludis oblectari cupiat, omnia præter fabulas, comœdias, carmina seponit. Antequam quicquid legit, ut erudiat – quod non fere fieri solet – testimonium requirit consignatum ab eis qui magis intellegant, quod vera eruditio ibi invenietur. Quos tamen magis intellegentes falso putat esse disciplinarum professores, nam iniuria adæquat eos qui ‘pro’ disciplina vivunt, cum eis qui ‘ex’ ea vivunt, quippe qui raro idem. Sicut ille Diderot iam in *Filio fratris Rameau* dixit, ii qui disciplinam docent, non idem sunt atque qui eam comprehendunt serioque eo exercent, ut tempus ad docendum deficiat.<sup>6</sup> Eis enim qui ex ea vivunt, disciplina est *eine tüchtige Kuh, die sie mit Butter versorgt* «vac- cula quæ fructum lactea suppeditet».<sup>7</sup>

Cum nationis summum ingenium rem quandam, ut Goethe theoriam colorum, studium principale<sup>8</sup> sibi elegerit, quæ tamen fidem non habere videtur, officium est gubernatorum regni iubere academias, utpote quarum stipendia solvant, rem arbitris committere quærendam, ut in Francogallia in rebus sane minoribus fieri solet. Quonam præterea valent hæ academias, quæ tantopere sese iactitant, quarumque tot sodales asini sese inflant? Tametsi novæ veritates alicuius momenti raro ex eis eveniunt, tamen magna et præstantia iudicare saltem posse debent, nec ad sententiam ex officio ferendam non incitari. Interim vero magister ille Link, sodalis Academiæ Berolinensis, in *Propylæis historiae naturalis* (vol. I, 1836) specimen iudicii academici sui protulit. Is enim a priori persuasus collegam academ- icum suum Hegelium magnum esse philosophum, Goethii vero theoriam colorum meram stultitiam, utrumque ita congregat:

«Hegel, quoties de Newtono agit, effusis indulget contumeliis, fortasse ex clementia – ut reprehendam quod reprehendendum est – adversus Goethium

observanda.»<sup>9</sup>

Ergo de clementia miserrimi circumscriptoris adver- sus summum nationis ingenium exhibita iste magister Link dicere audet. Ut eius iudicium ridiculaque superbia clarius liqueant, aliquot locos ex eodem opere sumptos, qui superiorem illustrent, inferius afferam:

«Profunditate Hegel cunctis præcessoribus præstat; immo eorum doctrinæ philosophicæ adversus suam quasi nugæ videntur.»<sup>10</sup>

Tum expositionem ineptiarum cathedrariarum Hegelianarum ita concludit:

«Hoc est sublime ædificium, altis radicibus defixum, summi acuminis metaphysici in disciplinis reperti. Verba velut ‘Cogitatio necessitudinis est liber- tas; anima universum morale sibi fingit, ubi libertas vicissim necessitudo fit’ ingenio accedenti admiratio- nem iniciunt. Quæ verba semel ordine percepta ei, qui dixit, immortalitatem conciliant.»<sup>11</sup>

Cum magister ille Link non modo Academiæ Berolinensis sodalis sit, sed etiam inter viros nobilissimos celeberrimosve rei publicæ litterarum Germanicæ numeretur, dicta eius, quippe nusquam obiurgata, tes- timonium quoque iudicii ac iustitiæ in Germania vigentium habeantur. Sic enim apparet qui fieri poterit, ut scripta mea plus quam triginta annos neglecta atque despecta iaceant.<sup>12</sup>

## § 8

Viri docti Germani tamen ieiuniores sunt, quam ut rationales et honesti esse possent. Itaque eis proprium ac solitum est sese vertere, flectere, conformare, ani- mique sententiam infitari, insincere docere et scribere, adulari, blandiri, partibus favere amicitiasque inire, administratores, auctoritates, collegas, studiosos, libra- rios, iudices litteratos, omnia igitur potius quam veri- tatem et aliorum merita respicere. Sic plerumque improbi reverentes fiunt. Quamobrem cum in litteris Germanicis tum præcipue in philosophia tantopere vicit insania, ut sperandum sit eos olim fore impo- tentes quemquam ultra fallendi.

## § 9

Ceterum in re publica litterarum haud aliter res se habent atque in reliquis rebus publicis: is quidem maxime amatur, qui modeste cauteque procedat neque appetat ceteris calliditate præstare. Insignes tamen in homines, siquidem periculum creant, omnes se coniungunt sibi que maiorem partem iudicium feliciter comparant.

In re publica litterarum generaliter ita est, ut in re publica Mexicana, ubi unusquisque honorem ac potes- tatem quærens suam tantum causam consulit salu- temque rei publicæ ita corruentis negligit.<sup>13</sup> Itidem in Germania quisque vir doctus non cupit nisi ipse conspici, ut gratiam ab aliis pariat. Hoc uno omnes consentiunt, quod ingenium eminens, si quod emerse- rit, impedire student quominus auctoritate crescat, quippe quia sibi peræque periculum conflat. Ut disci-

plinæ his condicionibus valeant, haud difficile intellegi potest.

## § 10

Inter professores academicos et viros doctos sui iuris semper est quædam diversitas, quæ fortasse ab ea, quæ inter canes et lupos existit, quodammodo illustrari potest.

Professores condicione sua optimam habent occasionem in notitiam suorum æqualium perveniendi. Viri docti sui iuris contra condicione sua optimam habent occasionem in notitiam posteritatis perveniendi; illud enim præter alia et rariora simul otium quoddam atque liberum arbitrium requirit.

Cum genus humanum non nisi post longum intervallum decernere valeat, quinam colendus sit, alii iuxta alios suam rem agere possunt.

Præsæpia professorum generatim aptissima sunt ad animalia ruminantia. Il vero, qui naturæ convenienter prædam suam capiunt, felicius in aperto versantur.<sup>14</sup>

## § 11

Maxima pars totius scientiæ humanæ cuiuscumque generis semper in charta constat, nempe in libris, qui chartacea humanitatis memoria sunt. Eiusdem exigua pars tantum quoque tempore in mente hominum re vera præsens est, quod præcipue ex brevitate et mobilitate vitæ, tum ex hominum languore et luxuria exoritur. Ætas quæque cito decurrens id adeo scientiæ humanæ sibi comparat, quo utitur. Quæ notitia mox evanescit; plerique viri docti levissime eruditi sunt. Tum sequitur nova ætas spei plena prorsusque nescia, quæ omnia denuo habet discenda, cuius scientiæ tantum adipiscitur, quantum aut mente complecti potest aut brevi in itinere sibi usui esse censet, deinde ipsa decedit. Quam igitur male scientia humana se habuisset, nisi fuissent litteræ ac libri impressi! Exinde solæ bibliothecæ sunt certa ac fixa memoria humani generis, cuius singuli homines non nisi minutam atque imperfectam possident partem. Eamque ob rem plerique viri docti tam inviti doctrinam suam examinari sinunt, quam mercatores tabulas suas.

Magnitudo scientiæ humanæ immensa est et undique infinita; quicquid scitu digni continet, ne ex millesima quidem parte unus homo scire potest.

Itaque disciplinæ tam late extensæ sunt, ut is qui in eis 'aliquid conficere' vult, non nisi angustissimæ cuiusdam doctrinæ studere reliquasque omnino neglegere debeat. Id faciens in sua scilicet disciplina inter ceteros eminebit, alioqui tamen semper in numero erit plebeiorum. Adde huc neglegentiam hodie crebrescentem utriusque linguæ, quas mediocriter discere nihil iuvat, cuius rei causa tabescunt animi cultus et humanitas; inde proveniunt viri doctissimi, qui præter ipsorum negotium veros asinos se præbent.

Cetero studiosus disciplinæ tam electæ haud dissimilis est operarius, qui in vita nil nisi quandam cochleam, hamum, ansam ad usum cuiusdam apparatus

machinæve fabricans suæ artis mirificam quidem adipiscitur peritiam. Itidemque comparabilis est homini, qui domi manet numquamque egreditur. Omnia quæ intra domum inveniuntur, penitus novit: angulum quemque, tignum quodque, scalas quasque, sicut Quasimodus apud Victorem illum Hugo novit Parisiensem ecclesiam Dominæ Nostræ; omnia autem extra domum reperta omnino ei nova et aliena sunt.

Verus tamen animi cultus atque humanitas cum varietatem doctrinæ tum conspectum rerum certe requirunt, ideoque sublimem doctrinam si quis petit, quodammodo πολυίστωρ esse debet. Quo magis ei, qui prorsus philosophus fieri cupit, extremas et maxime inter se distantes partes humanæ doctrinæ mente coniungere propositum est – quanam aliter olim convenire possint?

Homo ingenio præstantissimus numquam finibus unius disciplinæ sese continebit. Is enim de quæstione totius vitæ, quam tractandam natura sibi susceperit, nova sua consilia generi humano aliquo modo imperiet. Denique nomen magni ingenii habere nemo meret, nisi qui cunctam rerum universitatem earundemque essentiam cogitando magna et memoranda effecerit, contra atque qui in vita de quapiam relatione inter quaspiam res definienda molitur.

## § 12

Abrogatio Latinitatis virorum doctorum linguæ communis, æque ac plebeix litteræ diversarum gentium invicem exortæ, disciplinis in Europa cultis veræ fuit calamitati, præsertim cum solius Latinitatis gratia esset Europæa quædam civitas virorum doctorum, in quorum universitatem quisque liber in lucem emissus statim se vertere solebat. Numerus tamen ingeniorum vere cogitantium atque prudentium in tota Europa tam parvus est, ut, si eorundem forum a finibus linguarum dividitur discerpiturque, saluber effectus horum ingeniorum infinite minuatur. Tum translationes istæ ad libidinem redemptoris selectæ et a tironibus litteratis contextæ pro communi lingua virorum doctorum pessima sunt substitutio. Ea de causa philosophia Kantiana brevem post splendorem in lustrum iudicii Germanorum hæsit, cum supra eam ignes fatui vanitatum Fichteianarum, Schellingianarum, denique Hegelianarum fulgore coruscarent.<sup>15</sup> Ea de causa theoria colorum Goethiana inique est accepta. Ea de causa egomet neglectus sum. Ea de causa Anglicorum intelligentissima ac prudentissima natio ignominiosæ hypocrisis et oppressionis ergo nunc quoque devoluta est. Ea de causa laudabilis physica et zoologia Francogalliæ subsidio ac moderatione dignæ atque idoneæ cuiusdam doctrinæ methaphysicæ carent. Plura etiam hic afferri possent.

Potissimum autem immenso huic detrimento mox alterum et gravius accedet, scilicet defectio studii utriusque linguæ. Nunc iam in Francogallia et in Germania earum neglegentia crebrescit. Ipsum *Corpus*

*iuris civilis* annis 1830 Theodisce versum iam evidens erat signum ignorantiae ad omnis doctrinae Latinitatisque fundamentum obrepentis, signum igitur barbariae.<sup>16</sup> Res interea huc evaserunt, ut scriptores Graeci et Latini etiam Theodiscis edantur annotationibus, quod infamiae atque importunitati est. Cuius rei vera causa in eo est, quod domini editores, quicquid simulare studeant, Latine scribere iam non possunt, tum iuventus nostra libens manu eorum per viam inertiae, ignorantiae, barbariae sese deduci sinit. Equidem speraveram hanc rem in ephemeridibus litteratis fore, ut iure ac merito condemnata esset; valde tamen miratus sum, cum eandem intactam et quasi decoram evenisse conspicerem. Etenim ipsi iudices litterati aut capita aequae ignara, aut editorum redemptorisve gregales sunt. Nam blanda corruptela litteris Germanicis cuiuscumque generis haud aliena est.

Summa indignitas audacius in dies procedens mihi castiganda videtur, quod in libris litteratis et in commentariis vere doctis, atque adeo apud academias emissis, nonnulli loci e scriptoribus Graecis, immo – pro pudor – Latinis, sumpti Theodisce redduntur. Fu! Scribitisne ad sutores sartoresque? Sane pol, credo, dummodo quaestus praetexantur.<sup>17</sup> At liceat observanter notare vosmet omni sensu ignobiles esse. Potius laudem curate quam lucrum; potius facite indoctus suam sentiat inferioritatem quam ut vos eius concedatis criminæ. Pro scriptoribus Graecis et Latinis nihilo magis valent translationes Theodiscae quam cichorium<sup>18</sup> pro caffee, earumque veritati minime confidendum est.

Si igitur res huc pervenerint, valete humanitas, munditia, sublimitas! Revertetur barbaria, sunt non sunt ferriviæ, fila electrica, folles aerii. Sic tandem et aliud demittimus emolumentum, quo cuncti maiores fructi sunt. Non enim solum antiquitatem Romanam nobis recludit Latinitas, sed etiam totum medium ævum omnium gentium Europæ, simul et recentioræ ætatem usque ad medium prioris sæculi. Inde, ut aliquot exempla afferam, Scotus ille Eriugena sæculo IX, Iohannes ille Saresberiensis sæculo XII, Raimundus ille Lullus sæculo XIII, præter alios centum, directe ad me ea loquuntur lingua, quæ sibi, quandocumque de rebus ad studia pertinentibus cogitabant, naturalis et consueta erat. Ita illi etiam nunc mihi propinquissimi sunt; in arta consuetudine ac familiaritate eorum immergo eosque penitus cognosco. Quinam res se habuissent, si quisque eorum vulgari suo sermone, qui tunc erat, scripsisset?! Ne dimidiam partem quidem intellexerem neque possem vera necessitudine cum eis coniungi; eos tamquam umbras in remoto finiente aspicerem vel etiam per telescopium cuiusvis translationis. Ut id evitaret, Baconus ille de Verulamio plane fatetur se ipsum commentarios suos *Essays* inscriptos postea, etsi Hobbio adiutore (*Hobbessii vita*, p. 22),<sup>19</sup> titulo *Sermones fideles* Latine transtulisse.

Liceat hic obiter monere cultum gentilitatis suæ, si

qui in studiis disciplinisque se interponit, malam esse comitem, quam quidem foras protrudere oportet. Quid enim impudentius est quam, ubi pura atque universa humana coluntur nec quicquam præter vera, clara, pulchra vigere decet, affectionem gentis, in qua unusquisque forte natus est, anteponeere velle eaque mentem veritatem infringere, tum magna ingenia aliarum nationum iniuria afficere suosque gentiles verbis ornare? Apud scriptores omnium Europæ gentium cottidie invenimus exempla talius impudentiæ, utpote quam Yriarte ille in tricesima tertia dulcium suarum *Fabularum litterariorum* iam irriserit.<sup>20</sup>

### § 13

Ad excellentiam studiosorum provehendam eorumque numerum iam immodicum remittendum necesse est lege constituere:

1) ne quis ante ætatem XX annorum ad academiam admittatur, immo, antequam asciscitur, ut examini rigoroso utriusque linguæ satisfaciatur. Qua admissione tamen muneris militiæ expers sit, ut ita eidem prima *doctarum præmia frontium*<sup>21</sup> reddantur. Studioso cuius plura sunt discenda, quam ut otioso animo annum solidum vel plus artificis armiferis, suo officio omnino alienis, perdere possit – ut illud prætermittam, quod eius exercitatio reverentiam, quam indoctus quicumque viro docto prorsus debet, deminuit; immo eadem est barbaria, quam ille Raupach in comœdia *Ante centum annos* inscripta eo exposuit, ut malitiosam asperitatem ‘veteris Dessavii’ erga quandam candidatum exhibitam describeret.<sup>22</sup> Ordo studiosorum munere militiæ naturaliter exemptus non exercitus corrumpet, at certe numerum remittet imperitorum medicorum, ignarorum causidicorum ac iudicum, insciorum magistrorum ac nugatorum cuiuscumque generis – eo magis, quod vita militaris animum futuri viri docti omni modo debilitat affligitque.

2) ut unusquisque in academia primo anno Facultatis Philosophiæ tantum scholas adeat, neve ante annum alterum ad illas trium facultatum superiorum<sup>23</sup> audiendas admittatur, quarum tamen studiis deinde theologi duos, iurisperiti tres, medici quattuor annos se dedere debent. In gymnasiis invicem institutio studiis utriusque linguæ, historiæ, mathematicæ, grammaticæ Theodiscae contineri potest, et his quidem disciplinis, præsertim utraque lingua, eo diligentius. Cum autem mathematicæ indoles propria et perquam definita sit, neque cum reliquis animi facultatibus conveniat, immo nihil commune habeat,\* in mathematica docenda necesse est separatam divisionem discipulorum valere, ut is qui alioquin in selecta est, ea re non inhoneste in tertia esse posset, et versa vice.<sup>24</sup> Sic enim, ut cuiusque vires huius propriæ artis sunt, aliquid discere poterunt omnes.

Professores tamen, ut quibus studiosorum numerus prius quam virtus cordi sit, consiliis superius propositis non assentientur, nihilo magis ei, quod nunc sequi-

tur. Summi honores academici petendi omnino gratis fieri debent, ut gradus doctoris a professoribus quaestuosus degeneratus in dignitatem restituatur. Eo nomine examina publica posteriora, quantum ad doctores attinent, abroganda sunt.<sup>25</sup>

\* De hac re consule lepidum scriptum illius W. Hamilton, quod iudicium litteratum de libro quodam illius Whewhell in commentariis q.t. *Edinburgh Review* mense Ianuario anni 1836 condidit, deinde iuxta alia scripta suo nomine publicavit. Quod scriptum titulo *Über den Werth und Unwerth der Mathematik* ('De utilitate et inutilitate mathematicæ'; 1836) Theodisce quoque translatum est.<sup>26</sup> ☞

-----  
\* Arthurus Schopenhauer, «Über Gelehrsamkeit und Gelehrte», *Parerga und Paralipomena. Kleine philosophische Schriften II (Sämtliche Werke V*; edidit, recensuit Wolfgang I. b. von Löhneysen; Darmstadii 1976; editio princeps Berolini 1851) cap. 21, §§ 244-256, pp. 563-576. E Theodisco Latine vertit, commentariis instruxit Martinus Baasten.

1. De avunculi modo studendi Plinius ille minor hæc nobis tradit (*Epistulae*, 3,5.10-15): «Post cibum, sæpe quem interdiu levem et facilem veterum more sumebat, æstate, si quid otii, iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque. (...) Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat dormiebatque minimum; mox quasi alio die studebat in cenæ tempus. Super hanc liber legebatur, adnotabatur, et quidem cursim. (...) In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur; cum dico balinei, de interioribus loquor; nam, dum destringitur tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat: ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet; qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur.»

2. Profusa atque continua lectio facultati solute cogitandi quatenus noceat, Schopenhauer in commentariis «Selbstdenken» ('De facultate solute cogitandi', *Parerga et paralipomena*, vol. II, cap. 22) et «Über lesen und Bücher» ('De libris legendis', *ibid.*, cap. 24) fusius exsequitur.

3. De his Schopenhauer alias illud scripsit: *Man muß bedenken, daß vielen Gelehrten das unablässige Lehren vom Katheder und in Schriften zum gründlichen Lernen nur wenig Zeit läßt. Das docendo disco ist nicht unbedingt wahr, vielmehr möchte man bisweilen es parodieren*: Semper docendo nihil disco. «Prætereundum non est plerosque viros doctos ex cathedra et in scriptis continuo docentes penitus atque perquisite discendo haud multum vacare. Illud *docendo disco* [cf. Seneca, *Epistulae* 7.8] non absolute valet, interdum potius in *semper docendo nihil disco* flectendum esset» (*Über die Grundlage der Moral* 'De principio ethicae', 1840; *Sämtliche Werke* III [Darmstadii 1974] 667). Vide etiam infra, n. 14.

4. Falso cl. von Löhneysen in editione sua statuit Schopenhauerum hoc loco vocabula Anglica *tun* 'cupa' et *ton* 'magnum pondus, massa' inter se mutasse. Immo Sternium secutus Schopenhauer scripsit *tun*, ad pondus sive copiam referens, quod non verbatim quidem, sed tamen recte vertit *zweitausend Pfund* «duo milia librarum». Quæ vox enim eundem sensum atque *ton* habere potest (cf. *Oxford English Dictionary*, s.v. *tun*, n. 3). Inde ab editione decima apud Sternium (*The Life and Opinions of Tristram Shandy, Gentleman*, vol. II [Londinii 1775] cap. VIII, p. 91) quoque invenitur *ton*.

5. Iohannes Wolfgangus ille Goethe (1749-1832), qui præter litteras historiae naturalis quoque studia coluit, assidue theoriae colorum se dederat, quam opere magno c.t. *Zur Farbenlehre* ('De theoria colorum'; Tubingæ 1810) exposuit. Tametsi theoria eius imprimis ad lucis sensum eiusdemque conspectum pertinebat, tamen in doctrinam cl. *Newtoni*, nempe lucem albam e luce versicolori compositam esse, acerrime invexit. Theoria colorum ipsius Goethii a viris doctis Germanis aut reiecta, aut prorsus neglecta est, quod auctorem indignantem non mediocriter momordit (cf. W. Voigt & U. Sucker, *Johann Wolfgang von Goethe als Naturwissenschaftler* [Lipsiæ 1987] 31-47; M. Basfeld, «Zur Farbenlehre» in B. Witte, P. Schmidt & G. Böhme [edd.], *Goethe Handbuch* III, *Prosaschriften* [Stutgardiae/Wimariæ 1997] 719-743). De his Schopenhauer iuvenis cum sene Goethio late collocutus sese theoriam eius excoluisse ac superasse certum habuit, neque discidium quoddam evitare tandem potuit, sed veterem scriptorem semper summum ingenium Germaniæ veritus est. Sæpius theoriam colorum tractavit, sc. bis Theodisce (*Über das Sehen und die Farben* ['De visione et coloribus'; Lipsiæ 1816] et «Zur Farbenlehre» ['De theoria colorum', *Parerga et paralipomena*, vol. II, cap. 7), semelque Latine, «eo potissimum consilio, ut lectio eius exteris quoque pateat, inter quos forte fortuna attentiores æquioresve ei contingere possint iudices; deinde etiam ut, huic scriptorum corpori inserta, interitui minus obnoxia sit» (*Theoria colorum physiologica* in J. Radius [ed.], *Scriptores ophthalmologici minores* III [Lipsiæ 1830] 1-58, ibique 4). Cf. porro P.F.H. Lauthermann, «Schopenhauer's Color Theory» in B. Vandenebee (ed.), *A Companion to Schopenhauer* (Cicestriæ 2012) 60-69.

6. Cf. D. Diderot (1713-1784), *Le neveu de Rameau* (edd. J. Assézat, M. Tournoux; Parisii 1875-1877) 415: *LUI: (...) Et ces maîtres, vous espérez qu'ils sauront la grammaire, la fable, l'histoire, la géographie, la morale, dont ils lui donneront des leçons? Chansons, mon cher maître, chansons; s'ils possédaient ces choses assez pour les montrer, ils ne les montreraient pas. – MOI: Et pourquoi? – LUI: C'est qu'ils auraient passé leur vie à les étudier. Il faut être profond dans l'art ou dans la science pour en bien posséder les éléments.* «ILLE: (...) Num speras illos magistros fore, ut grammaticam, fabulas, historiam, geographiam, mores sciant eumque de his doceant? Simulacra, mi carissime magister, simulacra; nam si materiam eo callerent, ut ostendere possent, non ostenderent. – EGO: Quidni? – ILLE: His rebus studendis enim totam vitam degissent. Cuiusdam artis doctrinæve si qui elementa pernovisse vult, assiduus esse debet.»

7. Hic Schopenhauer distichon elegiacum *Wissenschaft* 'Doctrina' inscriptum refert, quod Fridericus ille Schiller una cum Goethio in opere c.t. *Xenien* (i.e. «Ξένια») publicavit: *Wissenschaft: / Einem ist sie die bobē, die himmlische Göttin, dem andern / Eine tüchtige Kub, die ihn mit Butter versorgt* «Doctrina: / Templum aliis colitur cæleste, aliisque ministrat / vaccula quæ fructum lactea suppeditet» (*Musen-Almanach für das Jahr 1797* [Tubingæ 1797] 197-302, ibique 214).

8. Neque Schopenhauer augere videtur, quanti Goethe opus suum *De theoria colorum* pendisset. Quod inceptum enim ipse senex inter cuncta sua scripta maximum fuisse censebat: *Auf alles, was ich als Poet geleistet habe (...) bilde ich mir gar nichts ein. Es haben treffliche Dichter mit mir gelebt, es lebten noch trefflichere vor mir, und es werden ihrer nach mir sein. Daß ich aber in meinem Jahrhundert in der schwierigen Wissenschaft der Farbenlehre der einzige bin, der das Rechte weiß, darauf tue ich mir etwas zu gute, und ich habe daher ein Bewußtsein der Superiorität über viele.* «De omnibus quæ poeta confeci (...) nihil sane me iacto. Nobiles enim poetæ mecum fuerunt, nobiliores etiam ante me erant, sicut post me quoque futuri sunt. Eo tamen aliquid præstare videor, quod meo sæculo in difficillima illa disciplina, quæ est theoria colorum, solus veritatem percepit, ideoque super plurimos me excellere mihi sum

conscius.» Cf. Voigt & Sucker, *Goethe als Naturwissenschaftler*, 31.

9. Cf. H.F. Link, *Propyläen der Naturkunde I* (Berolini 1836) 47: *Hegel erschöpft sich in den ungemessensten Ausfällen, wenn es Newton gilt, vielleicht aus Kondescendenz – eine schlechte Sache verdient ein schlechtes Wort – für Goethe.*

10. *An Tiefsinn übertrifft Hegel alle seine Vorgänger: man kann sagen, ihre Philosophie verschwindet vor der seinigen.* (Ibid., p. 32.)

11. *Dieses ist das tiefgegründete, erbabene Gebäude des höchsten metaphysischen Scharfsinnes, welches die Wissenschaft kennt. Worte wie diese: «das Denken der Notwendigkeit ist die Freiheit; der Geist schafft sich eine Welt der Sittlichkeit, wo die Freiheit wiederum Notwendigkeit wird», erfüllen mit Ehrfurcht den nabenden Geist, und ein Mal gehörig erkannt, sichern sie dem, welcher sie sprach, die Unsterblichkeit.* (Ibid., p. 44.)

12. Magnum opus Schopenhaueri c.t. *Die Welt als Wille und Vorstellung* ('Mundus ut voluntas et representatio'; Lipsiæ 1819 [vero 1818]), quod tenera ætate scripserat, æque et alia scripta eius a viris litteratis Germanis omnino neglegebantur. Quo contemptu magnopere vexatus iuvenis philosophus in academia docendo et famæ servire et omnem philosophiam sui temporis novare petivit. Anno 1820 in Universitate Berolinensi, ubi ille Hegel philosophiæ professor summa gloria florebat copiamque studiosorum ad se conciebat, novellus magister Schopenhauer scholas habuit titulo superbo 'Doctrina de essentia mundi et mente humana', quas autem confidentia sui minime carens eadem hora posuit atque ea, qua ipse Hegel habebat suas. Initio paucissimi, mox nemo venit auditum. Vita academica dehinc relicta Schopenhauer, cuius acumen sola vicit acerbitas, spe deiectus sempiternum suscepit odium in Hegelium eiusque sectatores, perque omnem occasionem eos palam – summa quidem eloquentia – calcare et increpitare studuit. Regia Danica Scientiarum Societas commentarios q.t. *Über die Grundlage der Moral* ('De principio ethicæ', 1840), quos Schopenhauer responsum ad quæstionem ab ipsa propositam scripserat, præmio dignos non iudicavit, notans «plures recentioris ætatis summos philosophos tam indecenter commemorari, ut iustam et gravem offensionem habeat». Hegelianam theoriam tunc universe celebratam ille tam inanem, verbosam, obscurantem censuit, ut eiusdem aptum insigne putaverit esse imaginem sepiæ tenebris cinctæ, lemmate *Mea caligine tutus* inscriptam. Post *Parerga et paralipomena* anno 1851 publicata demum Schopenhauer cum in Germania tum apud peregrinos magis magisque æstimabatur. Vitam et opera eius summatim tractant C. Janaway, *Schopenhauer. A Very Short Introduction* (Oxonii 2002) 1-13 et R. Wicks, *Schopenhauer* (Oxonii 2008) 1-13, copiose ac disertissime R. Safranski, *Schopenhauer und die wilden Jahre der Philosophie. Eine Biographie* (Monachii/Vindobonæ 1987).

13. Ex Bello Libertatis (1810-1821) in Mexico vehemens atque diuturna erat perturbatio temporum. Summum discrimen per dimidium fere sæculum ibi permanebat, dum diversa castra continuo rem publicam sibi capiunt potestatemque amittunt.

14. Nullum est dubium, quin Schopenhauer, quippe qui suis opibus valebat atque 'in aperto versabatur', his verbis se ipsum professoribus academicis philosophiam ex officio docentibus ac scribentibus opponat. Vide supra, n. 12.

15. Schopenhauer, præterquam quod orientalem doctrinam Upanishadum admiratus est, Platonem atque Kantium summos habuit philosophos. De theoria Kantiana ab idealismo q.d. Germanico ambigue recepta, cf. R.P. Horstmann, «The Reception of the *Critique of Pure Reason* by German Idealism» in P. Guyer (ed.), *The Cambridge Companion to Kant's Critique of Pure Reason* (Cantabrigæ 2010) 329-345, præsertim 344-345. Quo modo ipse Schopenhauer de diversis partibus philosophiæ Kantianæ iudicaverit, diligenter studioseque disserunt Wicks, *Schopenhauer*, 39-52 et P. Guyer, «Schopenhauer, Kant, and the Methods of Philosophy» in C. Janaway (ed.),

*The Cambridge Companion to Schopenhauer* (Cantabrigæ 1999) 93-137.

16. Verba hæc certe ad editionem c.t. *Das Corpus Juris Civilis in's Deutsche übersetzt von einem Vereine Rechtsgelehrter* (7 vol.; edd. C.E. Otto, B. Schilling, C.F.F. Sintenis; Lipsiæ 1830-1833) pertinent.

17. Hoc loco Schopenhauer duplicem sensum vocis Theodiscæ *Absatz* alludit, quæ simul 'calcem crepidæ' et 'quæstum vendendi' denotat.

18. Cichorium (sc. intybus var. sativum) est herba inulinam continens, cuius radix inde a sæculo undevicesimo pro caffee substitui solet.

19. Richardus Blackburne, *Thomæ Hobbes Angli Malmesburiensis philosophi vita* (Carolopoli 1681) 22: «Illis temporibus in amicitiam receptus est Francisci Baconi, Verulamii baronis et vicecomitis Sanct. Albani, magni Angliæ cancellarii et philosophiæ Atlantis, qui illius consuetudine magnopere delectatus est; et ab ipso in nonnullis scriptis suis Latine vertendis adiutus, qui neminem cogitata sua tanta facilitate concipere atque Thomam Hobbium passim prædicare solitus est.»

20. Thomas de Iriarte (1750-1791), *Fábulas literarias* (Matritæ s.a. [circa 1940]) fabula XXXIII, pp. 39-40: «STRUTHIO, CAMELUS ET VULPES. Ad otiosum convivium varia animalia (neque enim apud bestias desunt convivia) plurimis speciebus congressa erant. Ibi que agebant de diversis facultatibus, quibus quodque animal præditum est. Hic Formicam, ille Canem, alii Apem, alii Psittacum laudavere. 'Immo', inquit Struthio, 'mea sententia nullum est animal præstantius Camelo.' Dixitque Camelus: 'Ego confiteor solum mihi placere Struthionem.' Nemo divinavit quare tam rarum uterque prædicaverit arbitrium. Quoniam ambo satis crassi? An quod utriusque cervix longa? Nempe Struthio aliquid fatuus, nec acutissimus Camelus? An quia uterque foedus? Quippe bina pectora callosa? An fieri potest ... 'Nihil huiusmodi,' interpellavit Vulpes, 'sane pol percepi. Scitisne cur sese invicem tantopere laudent? Quia populares sunt.' Re vera ambo Barbarici erant. Haud temerarium erat Vulpis iudicium, quod fortasse æque valet in nonnullos viros litteratos.»

21. Cf. Horatii *Carmina* 1.29.

22. Ernst Raupach (1784-1852) erat auctor fabularum scænicarum notissimus. In comœdia c.t. *Vor bundert Jahren* (a. fere 1839) nobilem ducem cohortium Borussicum, nomine Leopold von Dessau, induxit.

23. In academiis facultates in unam 'inferiorem', sc. Philosophiæ, studia humaniora scientiasque naturales amplectentem, et tres 'superiores', sc. Theologiæ, Iuris, Medicinæ, dividi solebant. Quam divisionem autem nullo modo ex ipsis disciplinis rediisse, sed ex usu quem auctoritati publicæ ad populum imperandum afferre possent, arguerat Immanuel ille Kant (1724-1804), *Der Streit der Fakultäten* ('De bello facultatum' [1798]; edd. H.D. Brandt & P. Giordanetti; Hammonia 2005) 17.

24. Tertia, secunda, prima et selecta sunt classes superiores curriculi studiorum, quod sæculo XIX in lyceis Germanicis vigeat.

25. Examina publica (Theodisce: *Staatsexamen*) posteriora, sive secunda, sunt probationes ab auctoritate publica institutæ, quibus omnes, qui officio publico functuri erant, post studiorum diploma comparatum satisfacere debebant.

26. Cl. Hamilton, qui iudicium litteratum suum Whewelli operis c.t. *Thoughts on the Study of Mathematics as a part of a Liberal Education* (Cantabrigæ 1835) sine nomine scripserat (*Edinburgh Review* 62/126 [Ian. 1836] 409-455), contendit studium mathematicæ animis erudiendis nihil prodesse, immo nocere. Schopenhauer in principali opere suo c.t. *Mundus ut voluntas et representatio* (vol. II, cap. 13) Hamiltoni cogitata iam ante laudaverat, affirmans unicum usum mathematicæ in eo esse, *daß sie unstäte und flatterhafte Köpfe gewöhnen kann, ihre Aufmerksamkeit zu fixiren* «quod animos instabiles et volitantes ad inductionem figendam assuescere potest». Cf. porro D. Jacquette, «Schopenhauer's Philosophy of Logic and Mathematics» in B. Vandenabeele (ed.), *A Companion to Schopenhauer* (Cicestriæ 2012) 43-59.

## QVID AVT QVALE SIT DEVS

– scripsit David B. Taylor –

*Fide Enoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium accepit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator fit. (Ad Hebræos xi.5-6)*

Olim apud Romanos antiquos erat in senatu altare ad Victoriam dicatum. Numquid hi Romani vere credebant hanc Victoriam deam esse in cælis habitantem, preces eorum audientem et eis respondentem? Minime sane. Quod efficiebat cultus Victoriæ erat ut istas virtutes quas Romani in præcipuo honore tenebant ad hanc Victoriam attribuerent, re vera hanc deam tantum fictivam (potius quam ficticiam, quia ‘ficticius’ aliquid mendacii infert) esse bene scientes, sed ut per cultum illius eisdem virtutibus cultores imbuerentur exspectantes; quod plerumque eveniebat. Et hoc est quod nationum dominatores et sperare solebant (et nonnulli adhuc sperant) religionis observationem sequi. Num hic Deus (vel hi dei) veri sint aut tantum fictivi nusquam refert; quia ex utraque opinione idem est eventus.

Sunt tamen differentiæ quas cernimus inter cultus Dei (vel deorum) fictivi et Dei veri habitus, inter quas primaria est hæc: nos omnes – etiam qui atheismum profitentur – alicuiusmodi redemptionem quærimus, sed qualem redemptionem multifarie inter nos delineamus. Prex, non fortasse antiquissima, sed sine dubio latissime oblata, est ea in Oratione Dominica inventa: Panem nostrum cotidianum da nobis hodie; non amplius tamen ad cælos plurimi eam dirigunt, sed ad rei publicæ gubernatores – quorum responsum paratius efficaciusque semper esse experiuntur quam illud cæleste. Sunt aliqui nihilominus qui etiamnunc Deum verum esse asseverant, qui in cælo habitat, qui omnia in hoc mundo gesta dirigit, qui nostris precibus per suum interventum respondet. E contra sunt his diebus ‘novi atheistæ’ qui confidunt hos credentes in tempore non amplius futuros, et manifestum est numerum eorum apud nos perquam minui; vix sperandum est autem aliquando nusquam fore, eo quod (a) fides religiosa ex animæ egestate, non ex sensuum perceptione, oritur; (b) non semper marsupium publicum omnibus postulationibus nostris sufficiens erit, præcipue post copiæ petrolei deminutionem.

Est insuper hæc differentia inter eos qui redemptionem a Deo fictivo exspectant, et qui a Deo vero. Illi in successu operis manuum suarum magis nituntur, et notionem miraculorum totam spernunt; sed aliter est apud hos qui confidunt in redemptione e cælo olim manifestanda. Arbitrio horum miracula quasi arrhabo redemptionis existimantur, ut in textu videmus:

*Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. Veneruntque simul et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen, et fecit signa coram populo. Et credidit populus, audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel et quod respexisset afflictionem eorum, et proni adoraverunt. (Exodus iv.28-31)*

Apud hos tales narrationes miraculorum veræ historicæque æstimantur, quamvis ceteris manifestum est meras fabulas mythicas vel etiam falsas esse. Persuadent credentibus tamen non præcipue quia veræ sunt sed quia spem eis impertiunt, et præsertim apud eos quibus spes alterna aut ægra aut nulla præsto sit; soli maligni talem spem quasi illusoriam palam deridere volunt.

Tempore Novationis Francogallicæ rebelles inter alia novam religionem instituere conabantur, quam Cultum Rationis appellabant. Non multo differebat hic cultus ab illo Romano Victoriæ supradicto, quippe hæc Ratio tantum ut conceptus habebatur. «Dogma» aiebat apostolus (ut ita dicam) huius religionis, scilicet Antonius Franciscus Momoro, «in mentem popularem est semper inculcandum: Libertas, Ratio, Veritas notiones tantum abstractæ sunt; non deæ, quoniam ut vere dicatur partes nostrum sunt.» Multum est in hac doctrina quod etiam hodiernis suasorium esse apparet; sed nec apud nos nec apud illos hæc religio in animos hominum se inserere potuit, mea sententia propter hostilitatem nimis apertam inter hanc et illam religionem tralaticiozem.

Eundem errorem manifestat cultus Rationis hodiernus, quem ‘novum atheismum’ vocant. Affirmatio religionem totam fictivam esse proba et recta est habenda; sed, ut supra vidimus, non necesse est ut hæc affirmatio causam religionis lædat. Religio quæ fictiva est, in rebus quæ maximi momenti sunt, æque ac ea religio quæ (ut ita dicam) substantiva est, non ad solos cultores sed etiam ad societatem hominum latiore proficit. Manifestum est (etiam apud Christianos hodiernos) plurimos cultores Deum fictivum magis quam substantivum colere, quod ex hoc apparet: Scripturas affirmant ‘Verbum Dei’ esse, sed simul confitentur multa dicta actaque in his Scripturis Deo attributa nihilominus respuenda esse; Deus ‘verus’ est is qui moralium notionibus apud illos cultores prævalentibus se conformat.

Quid est ergo quod hi novi atheistæ patrare volunt? Num religiones tralaticias evertere et novam scientificam statuere? Conamen vacuum, et per duas causas: primo loco quia scientiæ ipsæ absque valoribus (quos re vera inquisitiones eorum sæpissime impedire



sentiunt) se constituere decreverunt; secundo quia res utique diversæ sunt traditionem quidem quæ nunc est culpæ emendareque, novum autem systema substituere. Labor critici est facilis, fundatoris tamen durissimus; et omnia nova moralium systemata subito introducta in malum mox descendunt. De proverbio cogita: 'Cave ne quod optaveris obtineas'. Mundus perfectus numquam erit; mundus melior est faciendus per graduum in ipsis parvorum seriem longam – opus ingloriosum quidem sed in tempore vere beneficium.

Quid de illo argumento supra posito scientias totas absque valoribus constitutas esse? Multi erunt qui hanc doctrinam respuere volent, sed facilis est proba-

tio. Narratur de bomba atomica hoc, quod cum primum disputatio erat de hac adhibenda, nonnulli eorum qui in eius constructione laboraverunt consilio tam abominabili se toti opposuerunt. Sed unde hoc præceptum morale derivaverunt? Ex nihilo arbitrò quod est ipsa scientia mandatum. Scientia erat quæ bombæ constructionem docuit; sed de illa alia quæstione – multo maioris momenti – scientia nihil offert: quomodo, vel etiam utrum, talis bomba esset adhibenda? Ex hoc apparet conamen illud sæcularistarum religiones evertendi et scientias in locum earum substituendi nullum successum habere posse; quod gentem humanam a clade vix concipienda tandem servabit. ☞

QUID SIT DEUS cum omnes fere philosophi tum etiam Seneca more suo tractat; itaque ansam a Davide Taylor hic præbitam ita arripere placet ut tibi, bone lector, pulchram *Quæstionum naturalium* præfationem proponamus:

«Quantum inter philosophiam interest, Lucili viro-  
rum optime, et ceteras artes, tantum interesse existimo in ipsa philosophia inter illam partem quæ ad homines et hanc quæ ad deos pertinet. Altior est hæc et animosior; multum permisit sibi; non fuit oculis contenta; maius esse quiddam suspicata est ac pulchrius quod extra conspectum natura posuisset. Denique tantum inter duas interest, quantum inter deum et hominem. Altera docet quid in terris agendum sit, altera quid agatur in cælo. Altera errores nostros discutit et lumen admovet quo discernantur ambigua vitæ; altera multo supra hanc in qua volutamur caliginem excedit, et e tenebris ereptis perducit illo unde lucet.

Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, qua publica est, sed cum secretiora eius intravi, cum disco quæ universi materia sit, quis auctor sit aut custos, quid sit deus, totus in se tendat an et ad nos aliquando respiciat, faciat cottidie aliquid an semel fecerit, pars mundi sit an mundus, liceat illi hodieque decernere et ex lege factorum aliquid derogare an maiestatis deminutio sit et confessio erroris, mutanda fecisse; necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt. Nec ob hoc minus liber est ac potens; ipse enim est necessitas sua.

Nisi ad hæc admitterer, non fuerat nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos et potiones percolarem? Ut hoc corpus causarium ac fluidum, periturumque nisi subinde impleatur, sarcirem, et viverem ægri minister? Ut mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti ut sudem, ut æstuem. O quam contempta res est homo, nisi supra humana surrexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? Etiam si superiores sumus,

portenta vincimus. Quid est cur suspiciamus nosmet-ipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? Non video quare sibi placeat qui robustior est valetudinario.

Multum interest inter vires et bonam valetudinem. Effugisti vitia animi; non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem sermo compositus, nec cor involutum, nec avaritia quæ, quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi neget, nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparat, nec ambitio quæ te ad dignitatem nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consecutus es; multa effugisti, te nondum. (...)

Quid est deus? Mens universi. Quid est deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest, si solus est omnia, si opus suum et intra et extra tenet. Quid ergo interest inter naturam dei et nostram? Nostri melior pars animus est; in illo nulla pars extra animum. Totus est ratio, cum interim tantus error mortalia tenet ut hoc, quo neque formosius est quidquam nec dispositius nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum et casu volubile ideoque tumultuosum inter fulmina nubes tempestates et cetera quibus terræ ac terris vicina pulsantur. (...) Quanti æstimas ista cognoscere et rebus terminos ponere, quantum deus possit; materiam ipse sibi formet an data utatur; utrum utro sit prius, materiæ supervenerit ratio an materia rationi; deus quicquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant et a magno artifice prave multa formentur, non quia cessat ars, sed quia id in quo exercetur sæpe inobsequens arti est? Hæc inspicere, hæc discere, his incubare, nonne transilire est mortalitatem suam et in meliorem transcribi sortem? Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nil aliud, hoc certe: sciam omnia angusta esse, mensus deum.» ☞

## FOLIA CVPRESSI

– scripsit Georgius Ludovicus Borges, in Latinum vertit Franciscus Loaiza-Lemos –

Inimicum unum tantum habeo. Nunquam enodavi quomodo potuerit introire nocte in domum meam die quarto decimo Aprilis anno 1977. Duas portas aperuit: solidam quæ coram via stat, et alteram mei parvi domicilii. Accendit lucem et me exsuscitavit ex oppressione nocturna, quam non in memoriam redigere possum sed in qua hortus erat. Quiete iussit me surgere et mihi sine mora vestem induere. Mea mors iam erat diiudicata et locus ad supplicium conficiendum longe aberat. Metu obstupefactus, obœdivi. Is erat minus procerus quam ego sed robustior et odium ei vim dederat. Nullam mutationem visu post multos annos ostendebat; tantum argenteas canities paucas in atris capillis. Motus erat specie nigræ beatitudinis. Me semper detestatus erat et nunc me occisurus erat. Beppo feles mea nos aspiciebat ab æternitate sua, sed nihil tentavit pro mea salvatione. Neque tentaverunt et fictilis tigris cæruleus qui in meo dormitorio inest, neque venefici et dæmones ex voluminibus Mille et Unius Noctium. Volui aliquam rem meam mihi comitem esse. Eum rogavi ut me sineret unum librum mecum ferre. Nimis perspicuum fuisset si bibliam eligissem. Ex duodecim voluminibus operis Emerson unum temere ac fortuito mea manusprehendit. Ne strepitum facerem descendimus per scalas. Dinumeravi unumquemque gradum. Animadverti eum me tangere vitare sicuti tactio eum polluere posset.

In intersectione viarum Charcas et Maipú, coram conventiculo, nos carpentum præstolatus erat. Gestu officioso qui iussum indicavit effecit ut primus ascenderem. Carrucarius iam cognovit destinationem et equum fustibus verberavit. Iter fuit perlentum, et, ut supponere debemus, taciturnum. Timui (aut fortasse speravi) id quoque interminabile esse. Erat nox serena, nullo vento, et fulgebat luna. Ne una anima quidem viis inerat. Ambobus lateribus carpenti improceræ domus, quæ totæ æquales erant, sicut custodes in linea

adstabant. Putavi: iam in meridie sumus. In summo sub umbra vidi horologium turris; in disco splendente neque gnomon neque numeri ex-stabant. Nullos xystos ut sciam percurrimus. Non metui, ne quidem metuere metui, ne quidem metuere metuere metui, modo seriei infinitæ philosophorum eleaticorum, sed cum parva porta carpenti aperui et descendere debui, pæne cecidi. Ascendimus per gradus petreos. Erant illic alvei præcipue politique petris conferti et permultæ arbores. Is me duxit ad basem unius earum et iussit me supinum et cruciformem iacere. De hoc loco vidi lupam romanam et scivi ubi essemus. Arbor meæ mortis erat cupressus. Ab hac re aliena iteravi mea mente notissimum versum Virgilio «Quantum lenta solent inter viburna cupressi.»

Reminiscebar «lenta» hic «flexibilia» significare sed folia meæ arboris nullam mollitudinem habebant. Erant æqualia, rigentia, nitida et e materia mortua. In quacumque inerat singula littera capitalis. Sensi et tædium et solatium. Sapii magnum conatum me servare posse. Me servare et fortasse eum perdere, quia, odio plenus, non notaverat neque horologium neque monstruosos termites. Dimisi amuletum et constrinxi gramina ambobus manibus. Vidi prima et postrema vice fulgorem chalybis. Expergefactus sum; recta manus tangebatur parietem mei cubiculi.

Putavi insuetissimam hanc oppressionem nocturnam esse, sed paulo post in somnum denuo me summersi.

Insequenti die inveni in pluteo locum inanem; liber Emersonis aberat, qui in somnio relictus est. Decem dies post mihi referunt inimicum meum ex sua domo exiisse et nondum regressum esse. Et numquam regredietur. Clausus in mea oppressionem nocturna continue perterritus inveniatur, sub luna quam non vidi, urbem horologiorum vacuis faciebus, et falsarum arborum quæ non crescere possunt, et nemo quidem scit quid aliud.





# *In hoc fasciculo !*

*De viris viribusque* [F. Deraedt] p. 1  
*Mythopolis sive De politice recto* [M. Cristini] p. 2  
*De Andrea Vesalio ante quingentos annos nato (t)* [G. Licoppe] p. 5  
*De doctrina deque viris doctis* [A. Schopenhauer - M. Baasten] p. 8  
*Quid aut quale sit Deus* [D.B. Taylor] p. 14  
*Folia cupressi* [G.L. Borges - F. Loaiza-Lemos] p. 16

*Imago tegumenti: instrumenta chirurgi, qualia fuerunt sexto decimo sæculo*  
(A. Vesalius, *De humani corporis fabrica*, p. 235).

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*

30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*

25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 26 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA